



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XV. De die dominica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

X.

Regii ma-
nuscripti
capitulum
17.

Seminum primitiæ ad festum diui Martini penduntor. Si quis dare distulerit, eas episcopo vndecies præstato, ac regi ducenos & viginti solidos persoluito.

XI.

Regii ma-
nuscripti
capitulum
18.

Thanus si in solo ex scripto possessio templum habuerit, cui locus adiaceat sepulturæ destinatus, decumarum suarum trientem in id conferre ei potestas esto. Sin circa templum nullus fuerit designatus humationi locus, tum qui est fundi dominus dato sacerdoti nouem partium reliquarum quantulum ei visum fuerit. Ex singulis ingenuorum focis census ecclesiasticus templo reddatur primario.

XII.

Regii ma-
nuscripti
capitulum
19.

Ter quotannis ad lucernas pecunia conferatur, festo quidem paschatis in singulas terræ hydas ceræ obulus imponitor, ad festum omnium sanctorum celebre tantumdem redditor, similiter fiat ad festum purificationis diuæ Mariæ.

XIII.

Regii ma-
nuscripti
capitulum
20.

Porro autem æquum est, vt effosso tumulo ipsa protinus numeretur pecunia sepulcralis. Atque si quis extra suæ parciæ fines mortuum humarit aliquem, ipsa nihilo scius pecunia sepulcralis ecclesiæ, ad quam iure pertineat, redditor.

XIV.

Regii ma-
nuscripti
capitulum
21.

Iura atque officia diuina omnia studiosè quisque ita vt conuenit tuitor ac conseruato: dies festos ac ieiunia summa cum ceremonia celebrato: diem dominicum ab ipsa Saturni diei hora pomeridiana tertia in primam vsque diei Lunaris lucem festum agito. Ceteras denique ferias perinde vt fuerint a sacerdote indictæ solennes agito.

XV.

Regii ma-
nuscripti
capitulum
22.

Die quidem dominico mercata concelebrari, populivè conuentus agi, nisi flagitante necessitate, planissime vetamus: ipso præterea die sacrosancto a venatione & opere terreno prorsus omni quisque abstineto.

XVI.

Regii ma-
nuscripti
capitulum
23.

Instituta omnia, siue quatuor temporum, siue quadragesima, siue alia quæcumque, religiosissime celebrantor